DE PEREGRINATIONE ORATIO

Jacob Oeler

Generoso ac Magnifico Domino,

DN. CHRISTOPHORO à LOSS, in Schleinitz/ꝛc. Cæſareæ Majeſtatis, & Sereniſsimi ELECTORIS Saxoniæ conſiliario, Sacri etiam Rom. Imperii Theſaurario digniſſimo, &c.

nec non

VIRIS

Ampliſsimis, conſultiſsimis, Prudentia longoqve rerum uſu præcellentiſsimis, clariſsimis:

DN.

CONSULIBUS ET SENATORIBUS optimè conſtitutæ Reipub. Numburgenſis, patriæ patribus meritiſſimis,

Dn. Patronis ac Mecænatibus ſuis omni obſervantiæ ſtudio perpetim colendis,

PROBATURUS

ipſis

ſuum cultum

CONCILIATURUS

ſibi

ipſorum benevolentiam

Hanc orationem conſecrat;

JACOBUS ÖLERUS Numburgenſis.

SI antehâc dubium mihi fuisset Excellentissime & Clarissime vir, Spectabilis Domine Decane, Viri Eximij Humanissimi atque Præstantissimi, tuq; florentissima studiosorum juvenum corona, quam arduum sit ac difficile, in publicâ eruditissimorum & præstantissimorum virorum coronâ dicere, nunc profectò reipsâ intelligerem, quando in conspectum vestrum longè clarissimum prodiens, ita animo percellor ac conturbor, ut ferè quo me vertam, aut quid dicam, nesciam. Atq; hoc in me fortassè non adeò mirandum! Si enim quibusdam constantissimis in conspectu auditorum sudorem erupisse, vultum ipsorum pallorem invasisse, genua tremuisse, linguam titubasse, imò & prorsus quosdam obmutuisse, ex omnium optimo ac præstantissimo dicendi magistro Tullio cognovimus, qui & seipsum totâ mente, atq; omnibus artubus in dicendi principiis contremuisse palàm fatetur: quid mihi, qui neq; ingenii felicitate, nec eruditionis præstantiâ, neq; eloquentiæ viribus cum infimo eorum in comparationem venire possum, quid mihi, inquam, animi atq; cogitationis inesse putatis, dum hos vestrûm oculos, acerrimi judicii indices, in me unum conversos & defixos intueor? Huc accedit, quod (cum nunquam pedem in vireta Rhetorum paulo profundius posuerim, ne-dum in ipsis Demosthenicum Suadæ florem, divinum Gratiarum rorem conquisiverim; & jam declamandi partes, onus Ætnâ gravius in me recipiens, mihi infirmo & imbecilli Herculis cothurnum ad-

 optem,

optem, & huic me theatro, quod nihil Nestoris gravissimam dictionem, gypsatis illuminatam verbis, & arte expolitam Orphei, requirit, committam,) vereor ne in scopulos reprehensionum asperrimos incurram, & aliquis mihi hæc verba objectet: Quis furoris Boreas te afflavit, quæ temeritatis aura impulit, ut exangvi fronte in hoc florentissimo & sacratissimo Palladis domicilio,

Pieriis tentes ora rigare vadis.

quod summâ olim cum laude, maxima cum admiratione omniumq; comprobatione gravissimi & disertissimi oratores sustinuêre, tune audacule sustinere conaris?

Sunt hæc ita *Auditores*, cum meipsum respicio: sed quando me paulisper recolligo, vestrum conventum honoratissimum perpendo, & mihi in mentem revoco eam humanitatem & benevolentiam, quâ eos, qui antehâc de eodem hoc loco verba fecêre adolescentes, prosequuti estis, atq; etiam ipsimet olim in florentissimum eloquentiæ campum prodeuntes, quanta cum difficultate conjunctum sit, cunctis tacentibus unum dicere, experti probè fuistis; incivile planè videtur, de tam benevolâ ac humanissimâ vestrâ præsentiâ aliquid sinistri cogitatione præsumere, multo magis verbis proloqui: cùm nemini vestrum ignotum sit, non vel ingenii fiduciâ, vel eruditionis excellentiâ me hunc locum nunc implere, sed solius exercitationis & periculi faciendi gratiâ dicendi provinciam mihi expetiisse. Quocirca vicissim recreat me & erigit vester insignis favor & benevolentia, quibus fretus ex immenso materiarum, quæ ad tractandum se offerunt, oceano, peregrinationem seligens, eâ quâ possum imbecillitate ingenii, tum quod peregrinationes instituendæ sint, tum quæ in iis tenenda, breviter demonstrare conabor.

Vos modò, *Auditores*, vestro favore & æquanimitate

me ti-

me timidum sustentate, benevolis mentibus aspirate, & de gravissimâ materiâ tenuiter differentem humanitate vobis propriâ, audite.

Sunt nonnulli ingenii donis, eruditione & autoritate clarissimi viri, Auditores optimi, qui *Peregrinationes*, Regionum & populorum exterorum lustrationes, quas nos egregium adjumentum, & quasi viam esse compendiariam; quâ civilis prudentia, variarum rerum cognitio & solida eruditio acquiritur, contendimus, usq; adeò detestantur, totoque pectore ita aversantur, ut ingenio suo ac falsissimâ sententiâ ducti, illas non modò non suscipiendas, sed & omninò interdicendas esse existiment; & tàm absurdam in suis non tantùm sensibus reponant opinionem, sed & aliis eandem persuadere conentur. Quorum quidem jejuna, nulliusq; ponderis oratio, ne mihi in peregrinationis dignitate propugnandâ obesse, & præjudicium aliquod dictioni meæ in animis auditorum gignere possit, antequam meam sententiam confirmem, vobis ante oculos statuendam, & ut levitatem ejus perspicere possitis, judiciis vestris committendam esse arbitror.

Quid autem isti censent? dicunt & ad nauseam usq; inculcant, domi nos & intra paternos lares optimis abundare præceptis institutisq; prudentiæ, nec non ex præceptoribus tùm vivâ voce docentibus, tùm mutis illis (libros puto) petere & haurire debere; ea, quæ animum nostrum ad communem vitam rectè instituendam, honestè agendam, & Rempublicam pro virili juvandam, omnibusq; modis decorandam & ornandam informare possint. Non opus esse ut multis difficultatibus, labore interdum haud perferendo, & sumtibus immensis exteras regiones lustremus, ab iisq; (quorum vitæ ratio à nostrati toto cœlo discrepat) omnium consiliorum præceptricem, honestarum actionum moderatricem

virtutum ac totius vitæ nostræ gubernatricem, Prudentiam addiscamus. Verùm ita comparatum esse, ut vitio quodam implantato, ab omnium rerum matre naturâ, domi parata, nostrisq; regionibus & locis concessa bona fastidire, longissimè remota curare, omnibus votis exoptare, & expansis, quod ajunt, velis remisq; ad ea, quæ foris sunt, contendere soleamus, adeò ut appetitus noster

Transvolet in medio posita & fugientia captet.

Experientiam verò si consulamus, perlustremus omnem antiquitatem, omnium veterum & recentium historiarum memoriam, si replicemus, quâm egeni virtutum ac eruditionis inopes, ii, qui peregrè abfuêre, in patriam revertantur, ita nobis ad oculum demonstrari (ajunt) ut vel cæcutienti sit manifestissimum: eoq; rem redire, ut dum veram prudentiam comparare sibi studeant, longè majora, maximeque nocitura in Rempublicam incommoda afferant; sæpeq; metuendum sit, ne ab ejusmodi, qui in peregrinis regnis fuerunt, novi quoq;, peregrini & inusitati mores introducantur, à nostratibus postea affectentur, & recipiantur. Quid enim? alias regiones lustratum si abieris, statim illis in locis quæ vides, animo tacitè blandiuntur & magis arrident, quàm domi nata, quæ usu & consuetudine despecta habentur. Inde fit ut peregrinis illecti moribus, illisq; assueti, parentum majorumq; nostrorum instituta prisca contemnamus, ritus moresq, gentis nostræ vetustos & laudabiles rejiciamus, formam Reipublicæ inveteratam irrideamus, imò patriæ terræ, quæ præ reliquis omnium charissima esse debebat & jucundissima, cæteras nationes longissimè anteferamus, nihilq; rectum & justum putemus, nil majorem laudem, majorem existimationem, majoremq; gloriam mereri animum inducamus, quâm quod ab exteris gentibus institutum, factitatum, & probatum cognoverimus, adeò ut nihil apud eos tàm ineptum

tum ſit & abſurdum, quod ſuos patronos & imitatores non inveniat. Hinc cachinno potius quàm admiratione, odio quam amore, vituperio quàm laude excipiendos mores, in patriam noſtram Germaniam minimè Germanos irrepſiſſe dictitant, curta pallia, pileos turbinatos, caligas tympanicas Gallico aut Italorum more geſtare, ſcapulas contrahendo attollere, in amico ſalutando pronis cervicibus & veſtigiis verrentibus terram dextræ tibiæ illius integumentum infra genu timidiſſimâ manu libare, capillos in varios gyros frangere, auriculos ſubulâ perforare, corporis mollicie cum fœmellis decertare, & immundiſſimis ſeſe excolere mundiciis, ad numerum ire, garrire, ſalire, & id genus ineptias alias, quas omnes ſi quis longa ſerie referre ſatagat,

Ante diem clauſo componet veſper olympo.

Summo verò laudum præconio condecorandum, & ab omnibus maximopere expetendum eſſe putant, prudentiſſimum illud, & nullis ſeculorum decurſibus intermoriturum Lycurgi Spartanorum Legumlatoris Sapientiſſimi inſtitutum, qui poſtquam plurimis argumentis, illuſtribus documentis, quanta mala ex peregrinationibus provenirent, cognoviſſet, non tantùm cives ſuos Spartanos ab iis penitus abduxit, verùm etiam, omnia ab exteris apportata mercimonia à portu ſuo longiſſimè removit, ne fortè novitas quædam, quæ teſte Platone, audaciæ mater, ſuperſtitionis ſoror, levitatis filia eſt, cum mercibus & exterorum conſuetudine inveheretur, invecta approbaretur, approbata mores ſubditorum corrumperet, veteres & uſitatas leges everteret, nova contrà & peſſima exoſculanda & adamanda obtruderet, minimè dubitans, tam diu florentem ac beatam fore Spartanorum Rempub. quàm diu ſubditi ab externis & peregrinis moribus non inquinarentur & contaminarentur. Cujus præclaram & longè ſapientiſſimam ſententiam

tentiam secuti olim Scythæ & Moscovitæ, hodierno vero tempore Chinenses, maxima cum Rerumpublicarnm suarum utilitate, præclarâ incolarum omnium felicitate, nulli civium limites imperii sui impunè transire, & excedere permittant. Præsertim cum et ipsis peregrinantibus haud rarò accidere hoc soleat, ut cum corporis & valetudinis jacturâ quâ nil —

Divitiæ poterunt regales addere majus.

ad patrios lares, tum patriæ, tum Reipublicæ inutiles facti, redeant, & si non illicò moriantur, mortem tamen semper secum circumferant: imò etiam vix relictâ patriâ miserè intereant, ab inimicis, à latronibus perimantur, in aquis suffocentur, & inter Barbaros sæpè animum efflent, & diem suum obeant. Quibus omnibus probè perpensis, peregrinationes non modò non suscipiendas, sed omninò prohibendas & cane pejus & angue detestandas esse statuunt.

At enimverò, *Auditores*, nunquam mihi persuadere potero, quenquam ex vobis tam bardum bliteumq; cluere, tam animo fore agresti ac duro, tam inexpertem rationis, quâ brutis antecellimus, qui eorum orationi (præstigiarum tricis irretitus, incertissimarum opinionum fascino dementatus) fidem habeat. Nam aut rerum momenta non rectè apud animum meum perpendi, & ad rationis amussim examinavi, aut illud omnimodò verum est, hunc universum terrarum orbem matrem & nutricem omnium hominum, communem patriam ac domicilium commune esse; id quod etiam Divinus ille Socrates, qui ipsius Apollinis oraculo sapientissimus judicatus fuit, indicavit & declaravit, quando interroganti: cujatem se ferret? mundi hujus civem, respondit. Quæ enim sit indignitas, quæ vesania & dementia, animum, quo nil divinius homini Deus concessit, quemq; vix ingens cælum capit, in cistulâ quasi recondi, & in sesquipedali ter.

li terræ frustillo captivum teneri? Quæ sit Iniquitas, passerculum aut regulum, per infinitos spaciorum tractus volitare, & aêre, qui suâ vi totius mundi plagas temperat, liberrimo frui; hominem contra mente & scientia præditum, omnium animalium non modò præstantissimum & nobilissimum; sed & dominum ac monarcham caveæ unius agelli aut urbeculæ includi?

Quemadmodum autem alta & ætherea ingenia motu gaudent, & cælum unde nata imitantur, nec uni subinde loco ceu muscæ, adhærent: Jta haud facilè effabor, quantum utilitatis publicè privatimq́;, cum maximo sæpe numero gloriæ & existimationis fœnore secum trahat, diffusæ magnæq́; illius patriæ partes nobiliores pedibus usurpasse, oculis lustrasse, atq; cum judicio penitius cognovisse; ut mirum non sit optimum quenq; patriæ suæ amatorem, induciis ad tempus cum laribus paternis & jucundâ amicorum consuetudine factis, admiranda variarum nationum scrutari, mores asperiusculos limâ peregrinationis emollire, domesticam rusticitatem extero civilitatis cultusq́; sale macerare, eniti deniq; ut ea quæ alibi audiverit saluberrima, viderit jucundissima, animadverterit laudatissima, in succum & sangvinem convertere, dataq́; postea occasione Reipublicæ suæ negotiis, popularium suorum causis, cum fructu & gratia attemperare queat. Jta certè res sese habet, Auditores, omnium rerum ignari & inscii in hanc universitatem & lucem hujus orbis splendidissimam edimur, adeoq́; si fidi deessent cultores, boni desiderarentur educatores, manum detraherent industrii præceptores, non modò non pares, verùm etiam longè inferiores immanissimis quibusvis bestiis redderemur. Jtaque Deus benignissimus & sapientissimus creaturarum omnium procurator, juxtà & conservator, optimè quoque (ut reliqua omnia, quæ in hoc

augustissimo & florentissimo mundi theatro cernuntur(hunc animum parentibus indidit, ut liberos ex se genitos & procreatos pro facultate honestè non educent solùm, sed etiam nuces relinquentes, & adultiores factos, vel bonis literis imbui, vel in aliis honestis & vitæ communi salutaribus artibus erudiri curent. Cùm verò literas & solidam eruditionem, quæ sunt pietatis conservatrices, barbariei depultrices, morum magistræ (ad quas mea potissimum spectat oratio) non semper in patriá addiscendi detur occasio, peropus sane est, & ipsa flagitat necessitas, ut docile ingenium, & variarum rerum ac disciplinarum capax, in scholas tanquam ad mercaturam bonarum artium ac disciplinarum mittatur, ibiq; illam avidissimè doctrinam combibat, quam domi haurire & cognoscere non poterat. Nec tamen satis est, ut in scholis & officinis hominum vivant, aut ibi in museo tanquam in carcere lateant, & de rebus sivè ad cognitionem, sivè ad actionem, sivè ad honestos ac decentes mores utilibus meditentur: sed excurrendum est, aut migrandum in alias quasvis illustres civitates, aut si occasio ac sumtus, qui peregrinationis nervi sunt, ferant in regna extera; in lucem & conspectum hominum prodeundum; ex conversatione cum aliis nationibus, quæ virtutis quædam est exercitatio: judicium confirmandum, variarum rerum, scitu dignissimarum, antea incognitarum experientia colligenda, & gravioribus curis, quæ in hâc miserâ & variis negotiis refertâ vitâ subinde occurrunt, quasi præludendum. Ut enim non omnes terræ omnia ferunt, sed

Indus ebur, Chaldæus amomum,
Assyrius gemmas, Ser. vellera, thura Sabæus,
Athis mel, Phœnix palmas, Lacedæmon olivam,
Argus equos, Epirus equas, pecuaria Gallus,
ma Chalybs, frumenta Libys, Campanus Iachum,

aurum

Aurum Lydus, Arabs guttam, Panchaia myrrham.
Pontus castorea, blattam Tyrus, æra Corinthus,
Sardinia argentum, naves Hispania defert.

Ita quoq non ubiq; iste animorum cultus succrescit, sed huic nationi ista, alii illa virtus quasi propria & peculiaris, quæ tanquam fragrantissimi flosculi, in unum colligendæ, & in corollam colligandæ sunt. Ac quamvis præceptores in scholis, mutiq; illi magistri, multa satis superq, moneant, doceant, & juventuti ceu lac maternum instillent, nunquam tamen adeò mentem nostram corruptam, & rubigine inscitiæ obsitam, informationis lixiviâ eluunt, smegmate admonitionis purgant, reprehensionis pumice expoliunt, ut non aliquid pædoris ac squaloris ex umbratili illâ institutione adhærescat, quod peregrinatione demum deterendum & exuendum est: Nec unquam lecta vel audita, animis ita insident, & tàm promtè occurrunt, hominemq; adeò afficiunt, quàm quæ oculis subjecta fidelibus coràm visa fuerunt. Videas multos, qui assiduâ lectione omnes libros excusserunt, omnes bibliothecas perlustrarunt, innumera à præceptoribus & urbis suæ incolis auribus perceperunt, sed dùm assiduè in sinu materno delituerunt, fornaci assederunt suæ, & ceu cochlea facit, cornua nunquàm extra testam exeruerunt, quando in forum & pulverem progredi, & ad usum ea quæ legerunt & audiverunt transferre debent, hærere, balbutire, trepidare, & nihil ex abundanti illâ copiâ depromere posse, quod patriæ subsidio, parentibus emolumento, amicis & propinquis saluti esse possit. Cujus farinæ homines celeberrimus Poëta *Horatius*, quem natura omnium ingeniorum compendium fecit, egregiè admodum orationis penicillo describit & depingit, Sic inquiens:

Ingenium sibi quod vacuas desumsit Athenas
Et studiis annos septem dedit, insenuitq;

Libris & curis statuâ taciturnius exit
Plerumq; & risu populum quatit.

Scilicet non contemplatione solâ & speculatione, rerum multarum experientia & in politicis negotiis dexteritas acquiritur, sed ut Citharedi, dum crebrò chordibus oberrant, & frequenter cithara ludunt, artem percipiunt; ita quoq; ex bonorum ætate majorum, & doctiorum conversatione, omnium virtutum princeps & gubernatrix prudentia acquiritur. Nemo medicus extitit, aut evasit unquàm, qui speculationibus tantùm vacando, stirpium plantarumq; proprietates pervestigando, operam & morborum curationem intermisit omnem: simili modo practicæ prudentiæ præcepta non cognoscenda tantùm, sed etiam ad usum transferenda sunt, idq; non in patriâ terrâ tantùm, ubi inter nota & notos versâmur, & propter consuetudinem inveteratam minorem accurationem adhibemus, sed multo magis inter peregrinas gentes, ubi varietas illa ingeniorum longè plus peregrinantem acuit & subigit, quàm si multos annos domestico in carcere inter familiares hæsisset.

Ut nihil jam de jucunditatibus passim obviis, & toto sinu sese peregrinantibus offerentibus, dicam, præteream hortos elegantissimè consitos, & omnis generis flosculos miro odore suavissimos referentes: latere patiar vineta læta, montes arboribus & fruticibus variis vestitos, prata colorib. ridentia: Quis est, quem non incredibili voluptate delibutum reddant, templorum sumtuosissimorum structuræ, turrium altitudines admirandæ, præ quibus Pyramides tantoperè à veteribus decantatæ, ludus & jocus fuisse videantur? Quis est, cujus animum maximopere non reficiant amplissimæ curiæ, quæ officii moderatrices, vindices temeritatis existunt? Cujus mentem non singulari voluptate multorum nummorum bibliothecæ, tot sapientum monumentis nobi-

litatæ, deliniant? Quis neget pectoris sui sinus non gaudio, oculosq; gratâ voluptate perfundi, ex monumentorum & sepulchrorum elogiis, quæ ad imitationem accendunt & inflammant eorum, quorum etiam post discessum ex hâc vitâ, in monumentis quasi renovari memoriam videmus. Magna quidem sunt hæc, Auditores, imò admiranda; verùm illis haud postponendam, sed æquandam, si non anteferendam, variarum & exterarum linguarum cognitionem judicio, quæ non tantùm mirificum in animis nostris oblectamentum pariunt, sed & adeò necessariæ sunt iis, & utiles, qui non in umbrâ atq; in otio delitescere, sed in luce atq; celebritate hominum versari, legiones obire, Principum ac Regum interesse consiliis, & ad Rerumpubli: adhiberi gubernacula aliquando cupiunt, ut sine illis recto stare talo nulli possint, cùm nec ad manum semper, sint interpretes, nec quicquam turpius, addo quoq; periculosius sit, ab his pendere; maximè ubi aut continuandus sermo, aut ob circumstantias mutandus, aut extemplò dandum responsum fuerit. Nec quicquam movemur eo, in quo præsidii veluti arx posita fuit, quod longè alia sit apud exteras gentes Rerumpubl. ratio & constitutio, quàm ea, cujus nos in regionibus & politiis nostris servantes sumus; siquidem utraq; ad unum eundemq; scopum, incolumitatem nimirum Rerumpublicarum & subditorum felicitatem collineat. Nihil igitur impedit, quò minus eorum mores & instituta studiosè cognoscantur, & apud animum probè perpendantur, ut appareat,

Quid distent æra lupinis.

& quantum illi in suis gubernaculis & administrationibus vel meliores, vel deteriores nobis sint, ut si occasio ferat, aut necessitas flagitet, ea nobis accommodare tanquam utilia, & rejicere tanquam noxia possimus. Id quod probè intelligunt Veneti, veteris Romanæ Reipublicæ quasi speculum

quoddam, qui, quamvis à Republica sapientissimè instituti ubiq; laudentur, tamen legatos suos apud exteras gentes habent, qui omnia in Republicà notatu digna diligenter observent, & accuratè ad patres perscribant, quò sua consilia ad ea dirigere possint. An verò propterea repulsam ferat peregrinatio, quam, (si modò rectè & cum judicio instituatur) & moribus prodesse, & autoritati atq; gloriæ inservire plurimùm, novimus, quod multi ex ea virtutum, & bonarum rerum vacui domum revertantur? Minimè putabitis Auditores! ut omnium bonarum & præstantium rerum abusus est, ita & peregrinationis.

Neq; tamen propter abusum res ipsa rejicienda & intermittenda est, nisi forte adeò mente deliremus, ut quemadmodum Lycurgus ad reprimendam vinolentiam in Scythis suis, & ebrietatem, quæ non vitium modò, sed omnium vitiorum arx & metropolis, coercendam, vites omnes funditus extirpare, & è tota illa regione eradicare jussit. Aut quemadmodum Aristippus servos suos aurum & pecuniam in maris profundum projicere jussit, quò ad iter capessendum expeditiores forent; uterq; satis ineptè & inconsultè: Sic nos per summam vesaniam, quod per se amplum prudentiæ adjumentum est, à multis sapientissimis viris comprobatum, propter unius aut alterius abusum, omninò tollere & in totum rejicere velimus. Maneat potius peregrinatio, maneat, sed removeantur illa vitia, quæ aliqui non ex peregrinatione, sed quia ipsi mali sunt, secum domum reportant. Neq; enim cuivis exteras nationes peragrandas esse statuimus, nec etiam cuilibet ætati eas permittendas, sed iis duntaxat, qui jam liberalium artium fundamenta præclarè posuerunt; & vel ipsi sibi consulere possunt, quid factu honestum, turpe verò inceptu sit, aut monitorem vel formatorem, & actionum moderatorem fidelem habeant, qui imperitos

ritos ad honesta ducat, & ab omnis generis vitiis, pronos propensosq; absterreat. Pueros sanè & adolescentulos, qui sibiipsis consulere, & suis rebus superesse nequeunt, sed à natura consilii inopes, plura vel errore, vel mentis perturbatione, quàm judicio agunt: si quis ita solos in alienas terras dimittendos esse censuerit, haud quicquam aliud fecerit, quàm ut patriæ florem & civium seminarium exterorum ludibriis exponat, & multis modis in illud injurius sit. Nam quid aliud discat adolescens imprudens, & rerum imperitus, quàm turpes ejusmodi mores, qui totam vitam deformant. Quippe is doctorum virorum consuetudine non admodum delectabitur, literarum studia non magnopere curabit, peregrinarum linguarum scientiam haud affectabit, & morum pulchritudini minimè studebit, sed si in assentatores peregrinos, qui ad illius ingenium mores suos componunt, & omnia studia aptant, inciderit, ut cætera puerilia illi arrident omnia, & blandiuntur, ita illorum dicta & facta imitabitur, quæcunq; in iis viderit, tanquàm summè elegantia, & decentia valdè suspiciet, & in illud totus incumbet, ut ad alios propagare, & altè implantare queat. Imò quæcunq; illi tantùm animi, delectationis, & temporis tædia fallendi gratia narrabunt, pro vivis oraculis ceu ex Apollinis tripode profectis, habebit, eaq; tanquam admiranda prodigia & portenta aliis commemorare minimè gravabitur. Quemadmodum enim in Hispania equas à vento Favonio concipere ajunt, sed fœtu evanido: Ita & ejusmodi adolescentes blandientium opinionum Austro gravidi domi serium nihil parient, sed ut tumidi tantum utres, fabularum & mendaciorum ventos evaporabunt. Nam uti in vico Lutetiæ vicino Echo est, quæ vocem semel receptam tredecies & sæpius reddit; sic illi immaturi peregrinatores visa & audita multiplicabunt, & non modò Heclæ montis ejulatus, conchas Scotiæ anseribus fæcundas,

das,

das, Indicas formicas, vulpium aut leporum magnitudine; Spytamæorum, Pygmæorum arietum caprarumq; dorsis insidentium in grues expeditionem denarrabunt, sed & alia quæ neq, oculis viderunt unquam, atq; etiam videbunt nunquam tanquam à se visa numerosis interdum additis dejerationibus in circulis & conviviis stultè deblaterabunt.

De nihilo magna & de parvo maxima fingentes.

Adde quod sumtus omnes, quos parentes suum defraudantes genium undiq; corraserunt, inutiliter profundent, amicorum & parentum expectationi minimè satisfacient, sed ab exteris parasitis circumventi, eorumq; dolis persuasi, nunc his, nunc illis voluptatibus, quæ blandissimæ dominæ sunt, cujus blanditiis, & ii, qui naturá boni sunt, corrumpuntur, indulgebunt, nonarias, Sphæristeria, cauponulas, & alia plenis, quod ajunt, buccis, celebrabunt, nec cessabunt donec omnia prodegerint, & sine fructu dilapidarint, parasitis & gnatonibus lucrum, sibi verò ipsis dolorem & inopiam attulerint, & cum ignominia in terram patriam reversi fuerint, popularibus quidem suis ridiculi, sibi ipsis verò molesti & ingrati. Nimirum præcoci huic excursioni & divagationi hoc omne acceptum ferendum est, quod tam varii, & nunquam antehâc in Germania visi mores introducantur, simulq; animi ad instabilitatem & levitatem quandam assuesiant. Summè proinde necessarium est, & diligenti circumspectione dignissimum, ut non cuivis ætati peregrinationes permittantur, sed ii demùm in peregrinas regiones ablegentur, qui in bonis literis non parùm profecerunt, atq; inde quasi anticipatam rerum sibi scientiam pepererunt, qui ab honesto turpia sejungere, quæ visu audituq; digna sunt observare, veros deniq; & sinceros amicos ab adulatoribus dignoscere, & dijudicare queant. Aut si etiam imperiti & inexperti adolescentes, in terras exteras dimittantur, adjungendi

gendi ſunt illis viri experti & illarum regionum & locorum gnari, tanquam inſpectores, qui eorum actiones ineptas nec ſatis validas regant, & moderentur, ne in labyrinthos inextricabiles incidant, & virtutibus relictis vitia ſectentur, adeoq; peſſimè morati, & magná vitiorum polluti colluvie, è peregrinatione redeant. Quod quidem ſi obſervetur, ſuus honos & dignitas peregrinationi conſtabit, illiq; peregrinatores ex variâ illâ urbium & regionum luſtratione auferent uſum longè uberrimum & ſaluberrimum, ut minimè verendum ſit, ne qui hâc in re ſeorſim â nobis ſentiunt, Lycurgi Spartanorum legumlatoris autoritate nos à ſententia noſtra dimoveant. Satis enim ſuperq́; conſtat, & ad oculum demonſtrari poteſt, Spartanos non adeò integris illibatisq́; moribus extitiſſe, ut nulli prorſus flagitio aut labeculæ invenuſtiori, locus apud eos ſuperfuerit. Laconum enim ξενηλασία quem fugit? quâ hoſpites omnes & adventitios, contra omnia humanitatis officia ditione ſuâ expulerunt, ne ſcilicet quippiam ex peregrinantium commercio rubiginis attraherent? Quem præterit eorum contumacia? unum ſanè hoc nos docebit, quàm tenaces ſententiarum ſuarum animo ſemel conceptarum fuerint, quod citharam Timothei Mileſii, qui ſeptem veteribus quatuor chordas adjecerat, improbârunt, licet & facilius & ſvavius longè illâ ludi poſſet. Quò minus mirum eſt eos duritiei ſuæ amantes peregrinorum conſuetudinem tantoperè aſpernatos fuiſſe. Quantò ſanius ſapuit ſapiens Solon, qui variorum periculorum caſibus ſeſe objicere non dubitavit, dum multas ignotas aſperasq́; regiones peragravit, in Ægyptum, Cyprum, Aſiam, & ad ipſum Lydorum Regem opulentiſſimum Cræſum longinquas peregrinationes ſuſcepit, ut ex variorum gentium inſtitutis, ideam quandam & formam benè conſtituendæ Reipublicæ caperet, & cives ſuos ad honeſti rectiq; cultum traduceret.

Scytharum verò, Moscovitarum & Chinensium imitationem tantopere qui prædicant, næ haud intelligunt, hoc omne, quod peregrinos hospites adeò aversantur, non ab humanitate & politie quadam profluere, sed ex eo, quod cum barbarie omnem humanitatem exuerunt provenire: Nec magis esse ob hoc facinus commendandos; quàm μοναστικὸς illos solitarios & eremitas, qui quasi sibi solis nati essent, solitudines frequentant, & hominum communionem extremè aversantur, & execrantur. Sed unicum adhuc habent, qui peregrinationibus adeo infensi sunt, quod multi in longinquis itineribus, à parentibus, amicis & propinquis suavissimis remoti, diem suum obeant, & ad plures concedant. Inepta sanè ratio & sibilis excipienda! quasi illi qui peregrè moriuntur, domi semper victuri fuissent, & quasi non etiam in patriâ vis fati & ultimus ille terminus omnibus impenderet:

Nullo fata loco possis excludere, cum mors
Venerit, in media Tybure Sardinia est.

Quis igitur tàm iniquus rerum æstimator foret, ut propter mortem nullibi locorum non imminentem, ubiq; expectandam, nemini nisi insipienti muliebriter extimescendam, peregrinationes intermittendas esse statueret; Ac non potiùs ita haberet, peregrinatione animum contra inevitabilem illam mortis necessitatem, inter tot pericula & adversitates muniendum, ut quocunq; etiam tempore ingruat, fortiter & intrepide excipiatur. Sed quid verbis opus est, cùm ex iis, quæ paulò antè diximus, satis superq; constet, peregrinationes si modo ritè & scitè suscipiantur, vitæ faces, vitiorum expultrices, juvenilis impetus magistras, senilis prudentiæ administras esse, nec quicquam roboris obtinere adversariorum rationes, si modò rationes nominandæ sunt leviculi isti prætextus, & persuasiones, quibus id, quod ipsi

forte

fortè nunquam experti fuére, aliis exosum & invisum reddere volunt. Nunc priusquam cymbula mea portum petat, restare videtur, ut pauculis quibusdam, quomodo peregrinatio rectè institui debeat, ostendam, quò finem sibi propositum in vitâ tàm publicâ, quàm privatâ, tàm belli quàm pacis tempore assequatur. Quod dùm non ex meá sententiâ, sed sapientiæ consultorum monumentis brevissimè multis omissis libo, & vobis, *Auditores*, omnium ordinum dignissimi, tenuiter propono, quæso ut hactenus, sic porrò balbutienti mihi, aurium vestrarum ædes reseretis, benevolentiam auscultandi præbeatis & præstetis.

Monent autem sapientiæ magistri, hæc in peregrinatione potissimum observanda esse, frontem apertam, linguam clausam, oculos auresq́; abstinentes. Ac quod frontem apertam esse jubent, humanitatem & comitatem innuunt, quæ ut omnem conversationem civilem valdè commendat, ita in peregrinatione summoperè illam necessariam esse deprehendimus. Qui enim comem se erga comites & blandũ præbebit, ab omnibus non solùm laudabitur, sed & illos sibi devinciet, & amicos parabit, in notitiam cum multis veniet, admissiones, aliis quæ denegatæ fuerunt, ad rariora, admirabilia, & in ipsis regionibus illustria, liberiores, & planiores habebit, omnium favorem in se derivabit, & verbo ut proferam, cunctis gratissimus erit & acceptissimus. Contrà verò ineptum planè sit peregrinationi ingenium, quod suo tantum sensu abundare, aliorum verò facta superciliosè contemnere volet; illud certè nullius amicitiam sibi accerset, sed malè interdum tractabitur & inimicitias & occultas insidias, morte pejores nimis citò sibi conflabit. Nihil enim iniquius ferunt homines, quàm sibi tantùm obsequens, & suis gaudens ingenium, quando scilicet vident, nihil, quod ipsum fecerit aut dixerit approbare, aliorum facta Theonino dente rodere; &

ceu pestem odisse, scommata virulenta, calumnias, dicteria mordacia, & alia invidiæ flabella palam ventilare, & in alios conjicere, dùm vicissim pessimo odio ejuscemodi prosequuntur, omnibusq; modis vexare summo studio allaborant. Quod cùm fit, ipsi sane nunquam abiisse expediat, quàm tot tantisq; periculis & hostilitatibus se exposuisse. Quemadmodum enim noctua in cornices incidens, garritu exagitatur & vexatur, lepus à canibus deprehensus dilaniatur; ita ejusmodi inter peregrinos, quasi ipsis ad deridendum propinatus fuisset, tantùm pro ludibrio habetur. Quamobrem eum, qui cum emolumento exteras nationes lustraturus est, & humanitatem & comitatem præ se ferre oportet. Ne verò hâc familiaritate in despectum veniat, & seipsum quasi per incuriam prodat, linguam clausam peregrinantem habere volunt sapientiæ doctores, ut scilicet non semper & apud omnes animi sui sensa fidenter exponat, sed probè perpendat, quid ubivis ratio postulet, cui & quousq; fidendum sit, diligenter circumspiciat. Satiùs enim est interdum planè tacere, & linguam silentii nube involvere, quàm per temerarios sermones in inextricabiles compedes se concludere, ex quibus pedes referri postea nequeant. Unde benè vetus Poëta.

Optimus est homini Linguæ thesaurus & ingens
Gratia, quæ paucis mensurat singula verbis.

Quod tamen non ita præcipiunt, quasi omnes sermones & colloquia, quæ magnum emolumentum afferunt, intermissa velint, nam & frena interdum linguæ effreni illi membro laxanda sunt, & de moribus singulis regionibus usitatis, legibus ac facie cujusq; urbis, ac Rebuspublicis, imò & de principibus, bellis, casibus, aut si quid eventuum magis insigne quærendum; sed loquacitatem tantùm, & propriarum rerum divulgationem prohibent, quæ sanè nisi peregrinans

nans occultârit, multis modis sibi ipsi incommodabit, cum in ejusmodi homines sæpè incidat, qui humanitatem & amicitiam egregiè quidem mentiuntur, in interiore verò animi penetrali, nisi deceptionem & spoliationem alterius nil meditantur. Quapropter nemini, cujus non probè perspectus & exploratus sit animus, facilè aliquid de seriis rebus committet peregrinans, sed secundum sapientis monitum mentem & linguam clausam, & tanquam pessulis quibusdam observatam, tenebit, ne vel ex verbulo, aut externo etiam gestu, cognosci possit, quid secum deliberatum & in corde reconditum habeat. Alti enim sunt recessus mentis humanæ, quos nemo ex intuitu facilè dijudicat, cum illo sæpè blandiantur homines, ut eò facilius incautos circumvenire, rebus suis viduare, si non planè in vitæ summum discrimen adducere possint. Jtaq; animus in theca quasi conditus habendus, & cum Epicharmo in ἀπιστίᾳ vel non credendo; sapientiæ nervi ponendi sunt. Deniq; quia sæpè fit, ut peregrinanti etiam sequioris sexus homines, hoc est, fæmellæ occurrant, quoad formam quidem elegantes & conspicuæ, sed lascivæ & procaces, ideò oculos, auresq; (quæ sunt amoris duces, & irritamenta malorum) abstinentes eum habere debere, fideliter monent, ne per occasionem ad libidinis incitamentum, aspectu formosarum Venerum permoveatur, & ab iis corrumpatur. Habitant enim non in Africa tantùm, sed ubivis perversi mores, qui fugiendi, Scylla quoq; & Charybdis non desunt, quæ prætemavigandæ, specus & latibulum Cyclopis conspiciendum se offert, sed salvè & callidè ex illo egrediendum, Circes poculum sæpe porrigitur, quod non bibendum: Sirenes audiuntur, imò & colloquia interdum cum iis miscentur, sed non tangendæ, nec labia illorum gustandæ. Quod quidem optimè fieri potest, si non modò oculi claudantur, & ab illecebroso hoc aspectu longè aver-

tantur, sed & aures contra venustos sermones obturentur. Similiter enim ut Athletis munimenta quædam aurium apponi mos (ἀμφωτίδας vocabant) ad vitandos ictus: eodem modo proculdubio firmissimum contra amatoria vulnera velamentum erit, mulierum voces venenato melle pejus odisse & amatorium nihil audire.

Quod si cui dubium, excutiat paulisper intelligentiam suam, & Ulyssem πολύτροπον illum & vivum peregrinationis speculum aspiciat, qui horum præceptorum præsidio ceu clypeo munitus firmissimo, peregrinationis illud mare periculosissimum quod ingressus erat, salvus & sospes evasit. Nam & Polyphemi monstri immanissimi, Circes callidissimæ, blandissimarum Sirenum, Scyllæ, Charybdis, & cæterorum, quæ se obtulerunt, monstrorum insidias astutè subterfugit, & in patriam suavissimam, ab omni periculo immunis reversus est.

Habetis, Auditores, quæ pro peregrinatione, & quomodo ea instituenda sit pro ingenii mei tenuitate exiliter, pro temporis ratione breviter, hoc loco dicenda esse duxi.

Ad vos me converto, commilitones ornatissimi, humaniorum literarum cultores politissimi, per communia studia rogans, ne illorum logis, qui peregrinationes tam malè traducunt, vos circumduci patiamini, sed potius, dum vires anniq; sinunt, bonis literis assiduam operam navetis, & fundamenta in hoc illustri Athenæo, pulchrè jaciatis, quo olim, pro ut cujusq; ratio & occasio feret, peregrinationes laudabiliter ingredi, & pulcherrimo virtutum paratu instructi, paternos lares revisere queatis.

Quod superest, Auditores omnium ordinum & dignitatum honoratissimi, qui vestra honoratissimâ præsentiâ & attentione singularem benevolentiam, tùm erga humanitatis studia, tùm etiam erga me declarastis, & humanitatem

vestram

vestram hoc modo illustriorem fecistis, eas, quas animi meï angustiis concipere possum, gratias ago maximas. Magnum est quod vobis debeo, magnum, sed persolvere conari, tùm superbum est, tùm etiam difficile. Faciam igitur quod ejusmodi in rebus dissolvendi facultate sublatâ, tùm modestius videtur, tùm etiam facilius: Jn omni meâ vitâ pro hodierno isto beneficio vobis plurimum me debere profitebor. Jnterdum enim cum res est cum viris & opum magnitudine & animi præcellentibus, solutionis loco est ipsa debiti confessio.

D I X I.

Προσφώ-

Προσφώνησις.

PErmultos hodie vides
Lustratum peregrè pergere triplicis
Omnes orbis in angulos.
Si, cur absfuerint, quæsieris tamen,
Nil præter flûvios sciunt,
Valles, lustra, domos, culmina montium,
Et quod vel Philure tibi
In punctistitio pænè loci, dabit.
Tu quàm rectius, ô bone,
Quid præstet peregrinatio, primitùs
Hauris è variis libris,
Et mox publicitùs differere occupas?
Isto quippe doces modo
Ad Cyrrhæ scatebras te minùs hospitem,
Nec, si quando peregrè eris,
Immensi vacuum fructuis exterum.

fac.

L.Mq;

Joh. Steuccius.

F I N I S.